



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Invidia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Quem Statius ita secutus est:

*Selle prætendens colla Medusa  
Ceu stimulis accendit Equum.*

DE HYDRA. CAP. XXXV.

**E**Ram me jam de his Anguium voluminibus explicaturus, cum majori me obvolutum negotio conspexi. Superat enim Hydra, quæ me ultimo loco aggressa moraretur: quare ope Herculis implorata, ipsam quoque ita confecimus.

SOPHISTÆ. CAP. XXXVI.

*Numeri  
multitu-  
dini.*

*Novem ca-  
pita habentem.*

*Æneid. l. 6.*

**H**YDRÆ significatum, cujus uno præciso Anguineo capite, alia atque alia evestigio repullularent, multi aliis atque aliis modis interpretati sunt: nos ea contenti esse possumus expositione, quam Plato, Euthydemo, posuit, ubi per eam perinde ac per Cancrum, sophisticas ait nugas significari. Hydram Paulanias uno tantum capite præditam scribit: sed enim Pisander Camireus multa illi capita tribuit. Alcaeus ἐννεακέφαλον eam vocat, πεντηκοντακέφαλον Simonides, quem Maro nosse sequitur, ubi dicit:

*Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.*

*Æneid. l. 1.*

Sed enim hi numero usi sunt, multitudinem significante, more Poetico: numerus enim novenarius, neque non quinquagenarius, ex iis sunt, qui multa significant, ut illud apud eundem Maronem, *Quinquaginta intus famula*, pro plurima. Ita ἐνεακῆρα κορώνη, in Arati carmine, pro multa vivacitate, quo superius in cauda Scorpii tetigimus; & in digiti commentario, ubi de numeris agitur, latius explicuimus: ubi passim numeri illi recensentur, qui tam apud Graecos, quam apud Latinos pro multitudine usurpantur.

INVIDIA. CAP. XXXVII.

*Erichthonius.*

**N**onnulli ex peritioribus invidiam per Hydram speciem significari tradunt, ideoque in nullo aëre monstrum domitando Herculem magis laborasse, quam ut Horatius ait, *supremo tandem furore mari* comperit. Ea vero palustris fingitur, & est sordido cæno pullulare, quod non nisi in abjecto & liquore animo reperitur: qua de causa Ovidius invidiam in imis vallibus latitare, confinxit: ita reliqua, quæ super ea conscribit, ad Hydram significatum omnia quadrare comperies. Nam & Erichthonium, quem alii pedes Anguineos habuisse, alii Serpentem illi ad custodiam datum scribunt, invidiam significari nonnulli arbitrati sunt: ea enim post res præclara gestas suboriri solet, & in cordis penetralibus occultari, virulento ad custodiam adjecto spiritu. Atque hoc illud odium est, quod Diodorus ex serpente picto significari tradit.

EDOMITUM A VIRTUTE VITIUM.

CAP. XXXVIII.

*Inrculus  
victoria,  
heros no-  
stri Christi  
victoriam  
apta repræ-  
sentans.*

**H**abet & pietas nostra heroes suos, quorum è numero fortissimum illum cælo intulit, qui satulem Draconem ex urbi subiecto lacu quotidie proflentem, nunc longo voluminum tractu festiva per arva late proserpentem, nunc spiris implicatum collectumque in insidiis per frutices & horulenta gramina latitantem, horrenda interdum lethiferaque die noctuque sibila dispergentem, immani venenosarum faucium hiatu lethum omnibus intentantem, nulloque non die moralium aliequem devorare solitum interfecerit. Non temere hæc literarum monumentis tradita: tamen rem uti gestam Concilia majorum nostrorum actis inferendam veterunt. Videtur enim hæc pictura species unumquemque admonere virtutis, cujus telo fretus illecebras amatorias, quæ dubio procul per Serpentem exprimi consuerunt, sædasque voluptates ex lacu, hoc est, ex infirma fluxaque mollitie mentis emergentes, sinuosis voluminibus, hoc est, variis delectamentorum laqueis manusque pedesque hominum implicantes, arctissimisque vinculorum nexibus obstringentes, nullo timore perculsus summoveere contendat, simulque odium & astuantia indignati cordis incitamenta: unde rixæ, contumeliæ, calumniæ, pessimæque persuasiones ortæ, magna semper rerum humanarum pernicies.